

tuta Rectore. Quod non solum ad nostrum, verum ad vestrum ac omnis diœceseos detrimentum pertinere dignoscitur, cum totius Provincia sollicitudinem Metropolitana constet esse commissam. Propterea eligimus hujus diœceseos, hujus Ecclesie Presbyterum, nomine N. nobis sufficientissimè cognitum, natalibus & moribus nobilem, Apostolica & Ecclesiastica disciplina imbutum, fide Catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem moribus, temperatum vita, castum & sobrium, humilem, affabilem, misericordem, literatum, in lege Dei sic instructum, in Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque Orthodoxorum & Canonum ac Decretorum, sedis Apostolica Præsulum constitutiones, sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sermone docentem ac servantem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, & cum modestia corripientem eos, qui resistunt; & si quis sana doctrina adversantur, eis resistere & redarguere prævalentem, hospitalem, modestum, sua domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum, in gradibus singulis secundum traditionem Ecclesiasticam ministrantem; ad omne opus bonum & satisfactionem, omni poscenti rationem de ea qua in illo est spe, paratum. Quem nobis quantocyus petimus ordinari Pontificem, quatenus autore Domino regulariter nobis præesse valeat, & prodesse, & nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus. Quia integritas Præsidentium, salus est subditorum: & ubi est incolumitas obedientie, ibi sana est forma doctrine. Ut autem omnium nostrorum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic decreto Canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis laborantes subscripsimus.

Item Subscriptio Episcoporum in electionem Episcopi.

Ille illius Ecclesie Archiepiscopus, in electionem Domini N. Ecclesie illius Episcopi subscripsi. Isti, in ordinationem illius Ecclesie Episcopi, ipso consentiente ordinati consenserunt, quod præsens inscriptio manifestat. Et paulo post sequitur rubrica: Tunc advocatur in basilicam Presbyteri à dextris ejus, & Diaconi à sinistris. Ipse verò inclinatio capite, in medio eorum incedit, usque dum veniat ante altare; tunc exuatur casula, & induat eum Pontifex planeta, & legat brevem hunc modum continentem: Cives, inquit, nostri elegerunt sibi hunc Pastorem. Oremus itaque Deum pro hoc viro, ut Deus omnipotens infundat in eum gratiam Spiritus sui, ut dignus habeatur ad Cathedram Episcopatus regendam. Et respondetur à Scola: Christe audi nos; & cantatur Litaniam, &c.

Ex eisdem Pontificalibus, quòd etiam Sacerdotes à Plebe eligi oportuit.

Et alloquatur populum sequentibus verbis, pro ordinando Presbytero: Quemadmodum dilectissimi Fratres, rectori navis & navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel timoris; ita communis eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Nec frustra à Patribus reminiscemur institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, CENSULATUR ET POPULUS; quia de actu, & de conservatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus, sci-

tur